

1792. 18.
2709

HISTORIA IVRIS CIVILIS
DE
**TESTAMENTI FACTIONE
MVLIERVM**

DISSERTATIO PRIMA
QVAM
ILLVSTRIS IVRISCONSULTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
**PRO SVMMIS
IN VTROQUE IVRE HONORIBVS
OBTINENDIS**

D. XXII. MART. CI CCCCXCII.

AD DISCEPTANDVM PROPONIT
AVGVSTVS ADOLPHVS WENDLERVS
ARTIVM LIBERALIVM MAGISTER ET IVRIS VTRIVSQVE
BACCALAVREVS.

LIPSIAE
EX OFFICINA KLAUBARTHIA.





Instituti ratio.

Inter alia, quae in dissertatione inaugurali a me nunc
edenda non inutiliter pertractari poterant, argumenta,
incidi in hunc de testamenti factione mulierum locum, in
eoque acquirescere decreui. Etsi enim non ignoro, iam
antea fuisse viros multo me doctiores, qui hoc in argu-
mento elaborarent, nemo tamen mihi succurrit, qui il-
lud adeo exhauserit, ut nihil mihi dicendum superesse vi-
deretur. Quid, quod, quantum eidem scio, nullus
exstitit, qui de vtraque feminarum testamenti factione tam
actiua, quam passiua, uno libello exponeret. *Actiua*
scilicet *testamenti factionem* doctores ius testamenti con-
dendi, *passiua* autem ius ex aliorum testamentis aliquid
capiendi, appellare solent. Ad me quod attinet, vtri-
vsque tractationem simul proponere constitueram. Ve-

=====

rum quum māteries amplior esset, quam vt vna disserta-
tione omnia comprehendī commode possent, scriptio-
nem duas in partes diuidere, et in praesenti priorem
tantum, de testamenti factiōne mulierum actiua, in pu-
blicum dare, partē autem alteram, de testamenti factio-
ne earum passiua, alii occasiōni seruare constitui. Ve-
strum, Lectores beneuoli, iam est iudicare, an operae
preiūm fecerim, et quae restat libelli pars altera, itidem
prodire in publicum debeat, an minus. Ceterum si
quid me errasse intellexerint aequi harum rerum arbitri,
quod, ne nimis saepe factum sit, vereor, eos hoc mihi
benigne indulturos esse et spero, et, vt faciant, huma-
nissime rogo.

DIS.



DISSE^TRAT^O PRIMA.

*De legibus, quae ad ius testamenti condendi mulierum
pertinent.*

C A P. I.

*Proponuntur cause, cur, testamento praetorio nondum introducto,
mulieribus non fuerit testamenti condendi potestas.*

Quodsi leges perlustramus a regibus primisque liberae rei publicae temporibus promulgatas eo consilio, ut, quid de ultimis voluntatibus constitutum fuerit, cognoscamus, operam et laborem perdidisse videbimus in hoc negotio, aliis ex rationibus ab utilitate et voluptate non penitus alieno. Etsi enim veteres Latii incolae, quae ratione opum post mortem in alios transferendarum constitui possint, non plane ignorabant, deficientibus tamen diuitiis nunquam fere vtebantur testamentis, ita ut iure rerum defuncti occupandarum non nisi liberi vel consanguinitatis vinculo cum eo coniuncti, gauderent. Resert quidem LIVIVS, Procam, Albanorum re-

gem, Numitori, regnum vetustum Syliae gentis legasse^{a)}, Demarathum Corinthum, qui domo profugus Tarquinii sedis dicitur, Lucumone omnium bonorum herede instituto, immemorem in testamento condendo nepotis decessisse^{b)}, Tarquinium Priscum ab Anco Marcio, Romanorum rege, liberis tutorem testamento institutum esse^{c)}; quemadmodum etiam PLUTARCHVS^{d)}, Anco Marcio regnante, Larentiam meretricem a Tarrutio heredem factam esse memorat^{e)}. Sed haec testamentorum exempla plane fuerunt singularia atque a priscis Romanorum moribus aliena. Posterioribus demum temporibus quam bellis feliciter gestis fines reipublicae Romanae magis magisque proferrentur, quam augerentur res ciuium domesticas, simulque opum multarum adquirendarum cupidus et avaritia cresceret, natum est quoque in Romanorum animis hereditatis, cuicunque vellent, relinquenda, diuitiae ut conservarentur, desiderium; atque haec est ultimarum voluntatum origo. Hoc ansam dedit testamentis introducendis, neque vii alii volunt, affectio animi^{f)} aut gratitudo aut beneficentia^{g)}. Quomodo autem prima Romanorum testamenta, quae

cum

a) lib. I. c. 3.

b) eod. lib. c. 34.

c) eod. lib. eod. cap.

d) in Quaest. Rom. 34.

e) Verba τελευτής κανονεύσθαι de
successione testamentaria sine dubio
sunt intelligenda, quam Larentiamagnatam fuisse Tarrutii non liqueat.
Conf. HEINECCI diff. de orig. testa-
mentis act. et ritu testandi antiquo, §.
23. et PERIZONII diff. ad leg. Vo-
con. p. 134.f) Conf. CIC. de fin. L. III. c. 20.
g) Conf. SENECA. de benef. L. IV.
c. II.

cum iis, quae nostris temporibus sunt, nomine magis, quam
indole comparari possunt, conderentur, hic paucis liceat com-
memorare. Qua in re duo nobis obueniunt ultimarum voluntat-
rum genera, illa aetate visitata. Fiebant nimis testamenta vel
in comitiis calatis, vel in procinctu seu in expeditione bellica^{b)}.
Si quis bona in aliis, quam in heredem legitimam, trans-
ferri cuperet, id ad populum in comitiis ut deferretur, necesse
erat. Ibi herede a testatore nominato populus curiatim con-
vocatus solenni formula a magistratu interrogabatur, *velutne
iubeatque hereditatem huic relinqui*ⁱ⁾? Quod si suffragiis curiatim
a populo latis confirmabatur, testamentum conditum erat,
tanquam lex ab vniuerso populo lata atque promulgata. Non
valuit igitur ex voluntate testatoris, sed ex consensu et auctor-
itate populi, a quo si heres a testatore propositus repudiare-
tur, voluntas testatoris nulla erat atque inualida. Neque li-
cuit priuata auctoritate reuocare, quae in comitiis constituta
erant atque confirmata; qua de causa testamentum quoque
non nisi eo loco immutari poterat, quo conditum era, id est, in
comitiis. Tantum igitur illis temporibus absuit, ut ciuis Ro-
manus potestate gauderet rerum suarum libere disponendarum,
ut etiam, antequam heredem sibi constitueret, populum consu-
lere, et quid ab eo decerneretur, exspectare deberet. Militi-

bus

e. II. Hac de re multa quoque diffe-
runt CHRIST. THOMASIVS in diff de
orig. successonis testamentar. Hal.
1705. §. 52. seqq.

b) Vid. §. 1. Inst. de-test. ord.

i) Conf. GELLII Noct. Att. L. V.
c. 19. et HEINECC. Ant. Rom. L. II.
tit. X. §. 2.

~~~~~

bus tantum in expeditionem bellicam euntibus et in procinctu constitutis testamentum condere concessum erat, conuocatis quibusdam, qui consensum viuerti populi repraesentarent, cōmmititonibus. Haec testamenta a militibus cinctu Gabino induitis et ab imperatore Diis Manibus pro exercitu deuotis, condita, tacite a populo probari credebantur, quia mali omnis videbatur, quae a deuotis constituta essent, diruere<sup>k).</sup> Quum autem non nisi in extremo rerum discriminē milites deuoti in hostes se immittere iuberentur, admodum rara fuerunt testamenta in procinctu condita.

His praemissis non difficile erit rationem cognoscere, quare his temporibus testari feminis non lieuerit. Quum enim necesse esset, vt testamenta tanquam leges in comitiis consensu totius populi conderentur, quumque non nisi ciues Romani iure standi in comitiis gauderent, feminas a iure testamenti faciendi exclusas esse, vnuquisque facile intelliget.

Iam vero ad illustrem illam perpetuaque memoria dignam in historia legum Romanarum epocham venio, ad annum scilicet post urbem conditam CCCVI. quo leges illae Decemvires e Graecia petitiae promulgabantur, quibus, quae antea obtinuerat testandi ratio, abrogata, et omnibus ciuibus, POMPONIO teste<sup>l)</sup>, latissima potestas et heredis insituendi, et legata et libertates dandi, nec non tutores constituendi concessa

k) Multa de testamentis in procinctu factis differuit HEINECC. in diff. l) in l. 120. D. de V. S.

cessa est. Sed neque ex his legibus testamentum facere feminis licuit. Etsi enim non amplius opus erat, ut ultimae voluntates in comitiis curiarum suffragiis confirmarentur, tamen nemini hanc potestatem testamenti faciendi concessam arbitrabantur Romani, nisi iis, qui sui juris essent, et liberrima gauderent rerum suarum administrandarum facultate, id est, patribus familiis. Haud quidem me latet, fuisse nonnullos, quibus sub vocabulo *paterfamilias* in legibus XII. Tab. scripto intelligere placeret tam mares, quam feminas; inter quos potissimum referendus est ALBERT. DIETER. TREKELLIUS<sup>m</sup>), qui hanc interpretandi rationem secutus mulieribus testimenti condendi facultatem hac legum XII. Tab. sanctione concessam esse contendit. Sed haec virorum doctorum opinio, legibus et moribus, qui tunc temporis obtinebant, Romanorum non solum non congrua, verum etiam plane contraria esse videtur; in quo quidem mecum consentiunt HEINECCIVS<sup>n</sup>), IVST. HENNING. BOEHMERVS<sup>o</sup>), GRIMALDI<sup>p</sup>), atque BREVNIN-GIVS<sup>q</sup>). Nemo enim facile erit, qui ignoret, his praesertim temporibus sexui sequiori, tanquam infirmo et negotiis gerendis

- m) in tractat. de origine atque progressu testamentis facti ap. Rom. c. III. §. 63. n) in Antiquitat. Rom. L. II. Tit. X. §. 19. et in diss. cit. §. 18. o) in diss. de test. mulierum, c. I. §. 4. Inest haec diss. eiusd. Exercitat. ad Pand. Tom. IV. p) in tract. de successionibus legit. qui prodit Neapoli, 1766. c. II. §. 5. q) in diss. de testamentis facti. feminarum, Lips. 1755. c. 2.

## B

rendis impari, nulla fere a Romanis concessa esse iura, uti  
tum ex Cicerone adparet, qui<sup>r</sup>): *Mulieres*, inquit, *omnes*  
*proppter infirmitatem consilii maiores in tutorum potestate esse volue-*  
*runt*; tum ex oratione quadam a M. Porcio Catone, quam  
Litius<sup>s</sup>) memoriae prodidit, habita, qui: *Maiores nostri nul-*  
*lam*, ait, *ne priuata rem agere feminas sine auctore volue-*  
*runt, in manu esse parentum, frutrum, virorum.* Itaque legibus  
et consuetudine erat constitutum, ut feminae, simulac natae  
essent usque ad mortem, aliorum potestati essent subiectae.  
Quae enim libertate fruebantur mulieres, usque ad puber-  
tam, siue usque ad annum aetatis duodecimum exactum, sub  
tutela pupillari viuebant, quo elapsi vel nuptui dabantur ex  
Numae constitutione<sup>t</sup>), vel in perpetuam tutelam transibant<sup>u</sup>).  
Quocunque enim modo nuptiae contraherentur, siue per *con-*  
*farreationem*<sup>v</sup>), ritu quodam sacerdotali, siue *coenitio*<sup>w</sup>),  
ritu mancipationis, siue per *usum*<sup>y</sup>), i. e. cohabitatione annali  
haud interrupta, mulieres liberam rerum saarum disponenda-  
rum facultatem non consequbantur. Quae duobus prioribus  
modis matrimonium inierant, in manum siue potestatem ma-  
tri redigebantur, quae contra per *usum* marito nuperant, in

tute-

<sup>r</sup>) in *Orat. pro Muraen. c. 12.*

de perpet. seminar. tutel. cap. I. §. 3.

<sup>s</sup>) *Lib. XXXIV. c. 2.*

quae inest eius diff. part. I. p. 192.

<sup>t</sup>) conf. *PLVTARCH. in Compa-*  
*rat. Lycurgi cum Numa*, p. 310. ed.  
Reisk.<sup>v</sup>) conf. *HEINECC. Ant. Rom. L. I.*  
*Tit. X. §. VI.*<sup>u</sup>) *Vid. EVERIT. OTTON. diff.*<sup>x</sup>) conf. *Eund. loc. cit. §. XII.*<sup>y</sup>) conf. *Eund. loc. cit. §. XIV.*

tutelam agnatorum perpetuam, sicuti filiae familias pubertatem egressae, transibant. Vnde conuentio vxoris in manum mariti ab Vlpiano<sup>a)</sup> recte meritoque inter capitinis deminutionis species refertur; in primis quum omnia, quae durante matrimonio mulieres adquirebant, marito adquirerent, et quae mulieres erant, viri fierent dotis nomine<sup>b)</sup>. Matrimonio autem, quod confarreatione aut coëmptione initum erat, per divortium aut mortem dissoluto, viduae muliebri tutelae perpetuae subiiciebantur<sup>b)</sup>. Quae autem ex iusta seruitute manuissae erant, mulieres, tutelae patroni perpetuae fuerunt obnoxiae. Neque enim in manum conuenire, neque testari sine patronorum auctoritate poterant<sup>c)</sup>. Quae quum ita sint, satis luculenter adparet, his temporibus feminas omnibus caruisse iuribus, quae patribus familias lege illa Decemuirali, ex qua potestate testamenti faciendi gauderent, concessa esse intelligimus. Permissum scilicet his erat, legare super pecunia atque tutela liberorum, i. e. constituiere sibi heredem omnium iurium atque bonorum, in primis sacrorum priuatorum, librisque tutorem. Haec autem omnia a seminarum arbitrio non pendebant. Neque enim iis licet sacra domestica in alium transferre, neque, quum nunquam sui iuris essent, de bonis disponere, neque quum matres patriae potestatis non

B 2

parti-

a) in fragment. Tit. XI. §. 13. allegat. cap. I. §. 22.

b) Vid. CIC. Topic. c. IV.

c) Vid HEINECC. Ant. Rom. L.

b) Conf. EVERM. OTTON. diff. III, Tit. VIII. §. V.

participes essent, liberis tutorem constituere. Itaque non opus est, multis demonstrare, a mulieribus fieri non potuisse testamenta per aes et libram, analogiae iuris seruandae causa a Iureconsultis postea inuenta, quippe quibus res hereditariae per venditionem et mancipationem in alium transferebantur<sup>d</sup>). Ex XII. igitur tabularum legibus feminis testari non licuit. Quae in contrarium proferri hic possent exempla, ad tempora recentiora pertinent<sup>e</sup>).

---

### C A P. II.

*Explicantur rationes, cur iure praetorio feminis testare licuerit.*

**A**d ius honorarium mihi iam transire liceat, quo multa iuris cum vniuersi, tum in primis hereditarii capita sunt immutata. Ut enim vetus ille testamenti condendi modus verborum solennitatibus peragendus aboleretur, et aliis brevior meliorque introduceretur, constitutum est a praetoribus, vt testamentum sine mancipatione et nuncupatione valeret, dummodo praesentibus septem testibus conditum, eorumque nominibus subscriptis firmatum esset. Opus igitur erat in testamentis condendis nec totius populi auctoritate, nec imaginariis, quibus leges

d) Conf. Eund. L. II. Tit. X. §. VI. et VII. e) Conf. BOEHMERI diss. de test. mulier. c. I. §. IV.

leges de successione ab intestato latae alia constitutione tollerentur, ritibus, sed sola sufficiebat testatoris voluntas septem virorum testimonio firmata. Hinc Iustinianus: *Iure honorario*, inquit, *nulla emancipatio desiderabatur, sed septem testium signa sufficiebant, cum iure civili signa testium non essent necessaria*<sup>a</sup>). Sublato igitur, quem peragere non poterant mulieres, emancipationis ritu, maximum, quod iuri testamenti condendi seminarum obstabat, impedimentum erat remotum. Sed accessit quoque alia quaedam ratio, quare ista aetate mulieres, possent testari. Videtur enim, ut ex verbis CICERONIS colligere licet, matrimonium tunc temporis duplici modo initum esse; vel ita, ut uxores in manum mariti conuenirent, vel ita, ut eius potestati haud subiicerentur. *Genus*, inquit<sup>b</sup>), *est uxoris eius duas formae, una matrum familias earum, quae in manum conuenierunt, altera earum, quae tantummodo uxores habentur.* Vtrum alterum matrimonii genus ab illo antea constituto, quod usu antiqui peragebatur, diuersum fuerit, an cum eo conuenierit, certo constitui non potest. In eo quidem inter illa conuenisse videtur, quod iidem inde nascerentur effectus. Quae enim hoc modo nupsierant marito feminae, in potestate eius non viviebant, sed dotem aliaque bona habebant<sup>c</sup>). Haec igitur bona testamento in alios transferendi facultate mulieres ex iure praetorio gaudebant. Quum autem omnes huius iuris par-

B 3 tici.

a) §. 2. Inst. de test. ord.

c) Conf. SCHVLTINGIUM ad VI-

b) in Topic. c. 3.

pian, fragm. Tit. IX. not. 2.

ticipes fieri non possent, inter feminas sui iuris et inter eas, quae alienae potestati erant subiectae, distinguendum esse videtur. Illis vel morte parentum, vel emancipatione post annum duodecimum exactum a patria potestate liberatis, tutore auctore, testari licebat, hae autem, quae vel tanquam filiae-familias patriae suberant potestati, vel in manum mariti con-venerant, ab hoc iure exclusae videntur, quia omnibus carebant bonis<sup>d</sup>). Necesse igitur erat, ut illarum testamentis ac-cederet auctoritas tutoris, quia, CICERONE teste<sup>e</sup>), ex testa-mento eius feminæ, quae capite nunquam deminuta esset, possesso a praetore dari non poterat. Liceat enim mihi haec CICERONIS verba: *quae se capite nunquam deminuit*, cum BOE-THIO ita explicare, ut ea intelligam de muliere, quae in testa-mento condendo tutoris auctoritatem praeteriit. Quod si illa ad eas trahimus mulieres, quae nunquam in manum mariti conuenerant, haec CICERONIS opinio principiis iuris Romani contraria est. Quae enim in manum mariti conuenerant, omni priuatae erant potestate super rebus suis mortis causa disponendi<sup>f</sup>), neque quidquam ex earum testamento capi poterat, nisi fortasse ex interdicto *quorum bonorum* heres bonorum possessionem a praetore acciperet<sup>g</sup>). Non ignoro quidem,

CVIA-

<sup>d</sup>) Conf. VLPIANI fragm. Tit. XX. §. 15. et SCHVLTING. ad h. l. not. 46. 47. et 48.

<sup>e</sup>) in Topic. c. IV.

<sup>f</sup>) Vid. SCHVLTING. l. c. et BOEHMERI diss. laud. c. I. §. 4. not. k.

<sup>g</sup>) Vid. CIC. epist. L. VII. ep. 21. et ad h. l. Lambin.

**CVIACIVM** <sup>h)</sup> aequae ac **ALEANDRVM** contendisse <sup>i)</sup>, matribus-familias quoque, i. e. iis, quae in manum mariti conuenerant, tunc temporis licuisse testamenta condere; attamen aliorum virorum doctissimorum <sup>k)</sup>, qui contrariam sententiam defendunt, argumentis magis fauens non possum non his adsentiri. Feminis autem morte mariti ab eius manu siue potestate liberatis testamenti faciendi facultas quin a praetore concessa sit, non dubito, quam haec aequiparari posse videantur illis, quae patriam potestatem vel patris morte, vel emancipatione sunt egressae.

---

### C A P. III.

*De cap. XII<sup>mo</sup>. Leg. Iul. et Pap. Popp. eiusque rationibus.*

**S**ilentio quoque non praetermittenda sunt sanctiones illae Legis Iul. et Pap. Popp. quae ad ius testamenti condendi mulierum pertinent, quibusque feminis commodum haud leuis momenti concessum est. Factum hoc est capite huius legis XII. cuius verba ita se habent: *Ingenua ter enixa, vel ius trium liberorum consecuta, libertina quatuor liberorum iure tutela liberator.*

*Eidem*

h) in Obsf. VII. II.

risprud. Anteist. p. 94.

i) ad CAII Instit. L. II. Tit. II,  
§. 1, not. 16, in SCHVLTINGI In-

k) Conf. HEINECC. Ant. Rom.  
L. II. Tit. XII. §. 19.



Eidem sine patroni auctoritate, dum pro numero liberorum sibi superfluum virilem partem ei relinquat, testari fas esto. Licebat igitur ex hac lege mulieribus ingenuis, quae, ex quo natae erant, libertate fruebantur, ter enixis, sine tutoris consensu, libertinis, siue feminis ex iusta seruitute manumissis autem, si quarta vice enixaerant, absque patroni auctoritate testamentum condere. Illae quaecumque heredem scribere poterant, has autem pro numero liberorum partem hereditatis virilem patrino relinquere oportebat. Ceterum mulieres non modo ipsa sobolis procreatione, sed etiam ex gratia principis ius trium vel quatuor liberorum consequi poterant. Iam vero quum in inuestigandis rationibus huius constitutionis versemur, ante omnia demonstrandum esse videtur, qua de causa mulieribus ob certum liberorum numerum hoc ipsum ius sit concessum. Quia in re consideranda intelligemus, Romanos maximis gravissimisque bellis implicitos, virtutisque bellicae maxime studiosos, inde a prima vrbis origine id praecipue curasse, ut respublica ciuium numero semper abundaret, multosque haberet, a quibus contra hostes defenderetur. Inde quoque omnem matrimonii finem in eo collocasse videntur, ut liberi procrearentur, et in commodum ciuitatis educarentur. Quod quidem ex legibus hac ratione promulgatis adparet, quippe quibus non modo omnia tollebantur, quae matrimonii ineundis impedimento esse possent, sed etiam praemia et singularia quaedam iura iis constituebantur, qui vxorem ducerent, poe-

nae

nae contra imponebantur iis, qui in coelibatu vitam degere conarentur. Cur enim Romulus Sabinorum virgines ad sacra et certamina in honorem Neptuni peragenda inuitatas rapi iussisset <sup>a)</sup>? Cur tanta ab eo liberorum corrigendorum et castigandorum potestas patribusfamilias concessa, ita ut filios male moratos, etiam in munere publico constitutos, in carcerem detrudere, flagris caedere, vincitos ad opera rustica ablegare, immo vita priuare possent <sup>b)</sup>, nisi ciuium numerum augere, illisque matrimonium dulcius incundiusque reddere, eius autem molestias, quantum fieri posset, tollere placuisse? Quare Numa Pompilius pellices, aram Iunonis tangere, siue nubere, nisi peracto antea sacrificio quodam ipsis ignominioso, prohibuissest <sup>c)</sup>, nisi ut feminae ad iustas nuptias contrahendas commouerentur? Qua de causa patribusfamilias ius vendendorum, quibus vxorem ducere permisum erat, filiorum a Romulo ipsis delatum, ademisset <sup>d)</sup>, nisi eum in finem, ne adolescentes hoc parentum commodo, ipsis noxio, a nuptiis contrahendis abstinentes meretricum amplexus vitae coniugali praeferrrent? Neque liberae reipublicae temporibus numeri ciuium augendi studium in legibus ferendis est neglectum. **LIVIUS**  
enim,

a) Conf. DION. HALICARN. L.  
II. c. 21.

c) Conf. FEST. voce pillex.

II. c. 21.

d) Vid. DION. HALICARNASS.

b) Vid. EUND. lib. II. c. 27;

L. II. c. 28. et PLVTARCH. in Nu-

ma c. 17.



enim<sup>e</sup>), inter multa blandimenta, bello cum Porsenna, rege gentis Etruscae, qui regibus electis potestatem regiam reddere studeret, imminente, plebi a senatu data et hoc refert, quod portoriis quoque et tributis plebe liberata, diuites iuberet conferre, qui oneri ferendo essent, quia pauperes liberis educandis satis stipendii praebenterent. Immunitas igitur a tributis pauperibus a senatu concessa est, ut ne egestate depresso a consilio matrimonii ineundi abducerentur. Deinde censores quoque non solum poenis, sed praemiis etiam ciues ad matrimonium contrahendum liberosque procreandos commouerunt. Qua de re CICERO<sup>f</sup>), Censores ait oportere eos prohibere, qui coelibem vitam degere vellent. Id quod etiam a PLVTARCHO<sup>g</sup>) adfirmatur. Censorum scilicet erat, quaerere e ciibus censui obnoxiiis, an ex animi sui sententia vxores haberent, iisque quos a nuptiis contrahendis abhorrere animaduerterent, mulieram aerario inferendam, quam aes vxorium adpellarunt<sup>h</sup>), imponere. Quemadmodum autem poenae a Censoribus constitutae sunt iis, qui studium liberorum procreandorum negligerent, ita praemiis etiam ciues ad matrimonium ineundum ab iis quasi inuitati sunt. Quiae autem fuerint ista maritorum praemia, certo constitui vix potest, nisi quae ex LIVIO hac de re coniicere licet. Is enim<sup>i</sup>), libertinos in quatuor urbas

nas

e) Lib. II. c. 9.

f) de legib. L. III. c. 3.

g) in Cat. mai. c. 16.

h) Vid. FEST. voce *vxorium*.

i) lib. XLV. c. 15.

nas tribus a censoribus descriptos esse dicit, praeter eos, quibus filius quinquenni maior ex Senatusconsulto esset; unde adparet, eos potissimum libertinorum, qui liberis procreatibus bene de republica meruissent, honoratori tribui esse adscriptos. Exemplum autem Censorum fecutus Iulius Caesar quoque agrum Campanum extra sortem viginti millibus ci-vium, quibus tres pluresue liberi essent, diuissime<sup>k)</sup>, iisque, qui plures liberos sustulissent, praemia constituisse dicitur<sup>l)</sup>. Denique et in lege Iul. et Papp. Popp. sanctiones, ciuium ad matrimonia ineunda commouendorum caussa hucusque editas, repetitas atque auertas animaduertimus. Ita enim hac lege inter alia ei hoc constitutum est: vt omnes, quae contraherentur, nuptiae iustae essent, vt omnes puberes virique potentes matrimonium liberorum quaesundorum caussa inirent, vt quisque despontatus sponsam intra biennium domum duceret, quod si omisisset, praemiis maritorum ne frueretur, vt ne seminae spatium excederent biennii a morte mariti, anni et sex mensium a tempore repudii, in recusando matrimonii vinculo, vt ne masculi ante annos sexaginta nati, vel feminae aetatem quinquaginta annorum noctae nuptias contraherent, vt ne spadones matrimonium inirent, vt, qui liberos, quos haberent in potestate, iniuria prohiberent vxores ducere vel nubere, a praetore ad auctoritatem suam liberorum desideriis

C 2

adcom-

k) Vid. SVETON. Iul. Caef. c. 20.

l) Conf. DION. CASE. L. XLIII.

p. 226.

admodumdam cogerentur, ut ne coelibes ex testamento quidquam caperent, sed ut omnia, quae iis relictā essent, ca-duca fierent, et fisco vindicarentur, nisi istius generis homines vel intra centum dies obtemperarent legi, i. e. nuptias contrahere apud se constituerent, vel defuncto essent genere proximi, ut conditio coelibatus aut viduitatis, legato a teste-tore adscripta, irrita pronuntiaretur, ut inter eos, qui consti-latum vel alium magistratum peterent, ii praeferrerentur, qui numero liberorum procreatorum reliquos candidatos antecelle-rent, ut, qui Romae tres, in Italia quatuor, in prouinciis quinque liberos incolumes haberent, libertate fruerentur omnium manerum personalium<sup>m)</sup>), ut Latinus senex, cui ex Latina filius filiale natus nataue esset, arque Latina ter enixa iure Quiritium gauderent, ut denique libertini, qui duos li-beros vel filium quinquennem in potestate haberent, ab omni-bus operibus patrono debitis liberarentur. Quanti autem aestimauerint Romani eos, qui liberis procreandis ciuitati prodescent, quantoque odio habuerint omnes, qui in coeli-batu viuerent, ex oratione quadam adparet ab Augusto ante Legem Iul. et Pap. Popp. promulgatam habita, quam ad nostra

vsque

<sup>m)</sup> Munera apud Romanos fuerunt *mixta*, quae utramque rem exigebant; vel *personalia*, quae animi corporis Ad personalia pertinuit tutela, cura-que laboribus expediebantur, vel *pa-trimonialia*, quae patrimonii sumtibus tio calendarii, aliaque. Vid. HET-er damno essent administranda, vel NECC. comment. ad Leg. Iul. et Pap. Popp. p. 207.

vsque tempora feruata DIONI CASSIO debemus<sup>a)</sup>). Is scilicet neque virorum, neque ciuitum, neque Romanorum nomine dignos censuit eos, qui genus suum abolere et nomen Romanum perdere in animum inducerent; immo homicidas, impieratis reos, sacrilegos, patriae proditores adpellauit eos, qui non gignerent, quos ex se nasci conueniret.

Sed non solum ut liberis procreandis reipublicae optime consulerent, sed etiam ut rationem cogitandi sentiendique, qua plurimorum nobilioris conditionis Romanorum animi erant impleti, sequerentur, qua quidem haud paruam felicitatis suae partem in conseruanda gente sua, atque in euitanda ignominia, qua omnes in coelibatu viuentes laborabant, collocarunt parentibus ob multititudinem liberorum praemia constituta esse videntur. Hanc in primis Augusto mentem fuisse, ex eius oratione supra adlegata apparet, qua in contentum tantopere adducere studuit eos, qui vitae coniugali coelibatum anteponerent, neque gentem suam nomenque Romanum immortale reddere stuperent. Nec facile mirum cuiquam videtur, maximam a Romanis gloriam in gente sua propaganda fuisse collocatam, si ad animum reuocari immensam illam iuriū multitudinem magnamque auctoritatem, qua non solum ipsi ciues Romani gaudebant, sed quae etiam transibat ad posteros. Itaque et his temporibus videtur illa CALLISTRATI, ICI, opinio obtinuisse, qui: *Idcirco, inquit<sup>b)</sup>, filios filiasue*

C 3

conci-

a) Lib. LVI. c. 1-9.

b) in l. 220. §. 3. D. de V. S.

= = =

concipimus atque edimus, ut ex prole eorum earumque diuturnitatis nobis memoriam in'aeum relinquamus. Quae quum ita sint, nemo facile erit, qui Romanos praemiis, ciubus ob multitudinem liberorum constitutis, saluti et publicae et priuatae optimae prospexit neget<sup>p</sup>). Idcirco necessarium ducebant, non solum masculos, sed etiam feminas ad matrimonium ineundum commouere; atque haec mihi esse videtur ratio, quare ob certum constitutumque liberorum numerum mulieres ingenuas a legitima, et libertinas a patroni tutela liberarent. Hac constitutione etiam mulieres a vita meretricia retinere, easque potius ad iustas nuptias contrahendas inducere studuerunt. In quo quidem admodum prudenter egisse videntur Romani. Nihil enim profecto ciuitati maius adfert damnum, nihil facilius omnis generis criminibus freна remittit, nihil opes atque diuitias ciuium magis immunit, nihil, quo minus cities belli molestias ferre valeant, magis efficit, nihil eos denique animo intrepido et ad adeunda pericula idoneo magis priuat, quam vita lascivia atque libidinosa. Hanc reipublicae ruinam timentes Romani non solum artibus meretriciis, quantum fieri poterat, modum imponere, sed remunerari etiam curarunt eos, qui turpibus illis et indecoris cupiditatibus abstinerent, iustisque nuptiis contractis bonos probosque incolas ciuitati educarent.

<sup>p</sup>) Haec omnia piaeclare exposue. dorf. 1708. et HEINECCIVS in comment. ad Leg. Iul. et Pap. Popp. Lib. in diss. de praemiis polypaedias, Alt. I. c. 2.

rent. Quam ad rem feliciter perficiendam in primis necessarium legislatoribus videbatur, mulierum quoque conditionem leuare, et omnes tollere molestias, quae feminis in matrimonio incundo hucusque impedimento fuerant. Inter has molestias referenda potissimum erat tutela, cui obnoxiae erant mulieres, etiam si viro nupsissent. Itaque trium vel quatuor liberorum matres a tutela liberavit Augustus, iisque potestatem super rebus suis mortis causa disponendi concessit, ita ut, et si liberae non nisi bis et libertinae non nisi ter essent enixaes, huius tamen iuris singulari principis gratia participes fieri possent, cuius rei nonnulla quoque apud veteres scriptores existant exempla<sup>9)</sup>. Dicerim autem hic factum esse inter ingenuas et libertinas, has scilicet quatuor denum liberorum numero consecutas esse id, quod illae tribus liberis editis nancisebantur, nemini sane mirum videbitur, quum libertinae ratione omnium fere iurium ingenuis longe inferiores censerentur. Et haec quoque sine dubio fuit ratio, quare mulieribus libertinis lege Iul. et Pap. Popp. iniungeretur, ut pro numero liberorum superstitem partem virilem patrono relinquenter. Ad patronos enim, a quo libertatem et quae habebant fere omnia acceperant, omnis libertarum hereditas antea iure meritoque pertinebat, neque licebat libertis alii cuidam, quam patrono, quidquam testamento relinquere. Ne igitur patroni, illis hac

lege

9) Vid. DION. CASS. Lib. XLIX. p. 414. GRVTERI inscript. p. 1081.  
SVETON. Claud. c. 19.

lege a tutela liberatis, omni iure ex hereditate mulierum a se manumissarum quidquam capiendi primitarentur, legislator libertas portionem virilem pro numero, qui iis supererant, liberorum patrono relinquere iussit, quod etiam cap. XLII. Leg. Iul. et Pap. Popp. repetitum esse animaduertimus. Sunt quidem, qui ultima huius constitutionis verba, ad portionem virilem patrono relinquendam spectantia, legi reuera non inferta, sed supposititia, eorumque loco alia quaedam ex lege Falcidia supplenda esse dicant<sup>1)</sup>). Ego vero alteram a plurimis IConsultis propositam opinionem fecutus, haec verba cum VLPIANO<sup>2)</sup>, HEINECCIO<sup>3)</sup>, et FRANCISCO RAMOS DEL MANGANO<sup>4)</sup> legi nostrae vere addita esse existimo.

#### C A P. IV.

*Proponuntur leges a Iustiniano ratione iuris testandi mulierum promulgatae.*

**M**ulieres iure Iustinianeo testamenti condendi facultate gaudere, nemo sane erit, qui dubitet. A practoribus enim iam antea

- |                                                                                                                                     |                                                                                                                                          |
|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| 1) Conf. IAC. GOTHOFRED. in<br>quatuor font. iur. civil. p. 286.<br>s) in fragm. Tit. XXIX. §. 3.<br>t) in comment. ad Leg. Iul. et | Popp. L. II. c. II. §. 4.<br>u) in comment. ad eand. leg. L.<br>IV. reliquat. 13. §. 3. qui infertus est<br>MEERMANNI thes. iur. tom. V. |
|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

antea iis haec potestas erat concessa; quare igitur eadem, testamento prætorio et illo, quod iure ciuili, siue per aes et libram condebatur, in vnum conflato<sup>a)</sup>, feminas priuatas esse a Iustiniano putemus? Confirmata potius ab eo est atque accuratus definita. Neque opus erat, ut earum testamenta tutoris auctoritate confirmarentur, quum Iustiniani temporibus tutela legitima plane euauisset<sup>b)</sup>. Nec vlla in iuris Romani corpore exstat sanctio, quae mulieribus tutorum in testamento condendo adhibere praeciperet<sup>c)</sup>. Ut autem sexus sequioris infirmitati occurreret Imp. atque facta iniqua, quae e potestate mulierum testandi finibus non inclusa enasci possent, prohiberet, normas quasdam iis praescripsit, quas in testamentis condendis sequerentur. Itaque ante omnia certam aetatem constituit, qua iis testari liceret, neque villam arbitrabatur magis idoneam illa, qua ad pubertatem perueniebant, et tutelam pupillarem egrediebantur i. e. annum duodecimum exactum<sup>d)</sup>. Ceterum, quae huc referri possunt, Iustiniani constitutiones, duplicitis generis sunt, ita ut vel liberorum vel maritorum utilitatii prospiciant. Ne enim liberi a matribus testamento iniuste praeterirentur, constitutum est ab imperatore, ut liberi ab iis


vel

a) vid. LAC. GOTHOFRED. ad vel curat, et EVERH. OTTON. diff. L. 1. C. Th. de test. et codicilli, Tom. de perpet. femin. tutel. Cap. I. §. 24. I. p. 335.

c) Vid. BREVNINGII. diff. de test. fact. femin. Cap. V.

b) Conf. L. 7. C. qui pet. tutor. d) conf. L. 5. D. qui test. fac. poss.

D



vel heredes scriberentur, vel nominatim, i. e. ex iusta et legitima causa exheredarentur, et nisi hoc factum esset, testamentum haud iure factum, et nullius momenti haberetur. Id autem non solum ex iis legibus colligi potest, quae ad patrum-familias testamenta pertinent <sup>e)</sup>, sed etiam in considerandis Iustiniani legibus nonnullae nobis obueniunt, quae disertis verbis matres testamenta condentes commemorant, inter quas potissimum referendam esse arbitror Nou. CXV. c. 3. ab init. cuius verba haec sunt: *Sancimus, non sincere penitus patri vel matri, aut uno vel auia, prouao vel proauiae suum filium vel filiam, vel ceteros liberos praeterire, aut exheredes in suo facere testamento, nec se per quamlibet donationem, vel legatum, vel fideicommissum, vel alium quemicunque modum eis dederit legibus debitam portionem: nisi forsan probabuntur ingratiti; et ipsas nominatim ingratis gratitudinis causas parentes suo inseruerint testamento.* Non licet igitur in tribus, liberos vel penitus praeterire, vel inter legatarios aut fideicommissarios collocare, sed necesse erat, ut, nisi legitimata quaedam exheredandi causa adesset, disertis verbis heredes scriberentur. Videtur quidem huic constitutioni contradicere §. vlt. Inst. de exheredit. liberor. quo constituitur, non oportere necessario matrem liberos aut heredes scribere, aut exheredare, sed sufficere silentio eos a matre praeteriri. Silentium enim matris tantum facere, quantum faciat exhereditatio patris, id est, testamentum, in quo liberi a matre sunt

prae-  
e) conf. L. i. D. de iniust. rupt. irrit. test.

praeteriti, eosdem habere effectus, quos haberet illud, in  
 quo a patre ex iusta causa exheredarentur. Non putabantur  
 scilicet liberi esse matri heredes sui, quibus bona ab illa relata  
 iure deberentur, qua de causa quoque iis in testamento ma-  
 terno praeteritis bonorum possessio contra tabulas a praetore  
 dari non poterat<sup>f</sup>). Itaque testamenta a matribus condita in-  
 firmari non poterant, nisi liberi in iis silentio omisi querela in-  
 officiosi testamenti hereditatem maternam adquirere stude-<sup>g</sup>).  
 Enim uero quum multa eorum, quae in Institutionibus legun-  
 tur, Nouellis, vtpote legibus posterioribus sublata sint, hoc  
 quoque Institutionum loco per Nou. CXV. sublato, non est,  
 quod dubitemus, iure Iustineaneo matribus haud licere silentio  
 liberos penitus praetermittere. Quemadmodum autem unus  
 quisque, qui ex legibus Iustinianis testamenti condendi facul-  
 tate gaudet, non solum sibi heredem constituere, sed etiam,  
 si heres institutus vita decebat, in eius locum alium substituere  
 potest, sic mulieribus quoque nonnulla a Iustiniano scripta  
 sunt preecepta ratione heredum substituendorum ab iis obser-  
 vanda. In qua quidem re distinguendae sunt diuersae illae ra-  
 tiones, e quibus heredes substitui solent. Liberis enim impu-  
 beribus non nisi ab iis, quibus patriam in eos exercere licebat  
 a potestatem, heredes substitui poterant. Qua de causa matres a

D 2

iure

f) Con. L. 4. §. 2. D. de bon. poss. ment. ad Inst. h. I.  
 cont. tab. et L. 13. D. de suis et le-  
 git. hered. et VENNIVM in Com-  
 g) Vid. §. Inst. allegat. in fin. et  
 L. 15. C. de inoff. test.

iure substitutionis pupillaris in testamento suscipienda legibus  
videtur esse exclusae<sup>b)</sup>). In locum autem liberorum puber-  
tatem egressorum, quos ab intestato vita dececessuros putarent,  
alii testamento nominari a mulieribus possunt<sup>i)</sup>). Neque ido-  
nea suppetit ratio, quare matres liberis, quibus ob furorem  
aut aliud impedimentum testamentum condere non licet, alios  
substituere prohibeantur. Quod autem ad ius tutorem liberis  
testamento constituendi attinet, id quoque feminis, patria po-  
testate plane parentibus, in legibus Iustinianeis negatum esse  
animaduertimus<sup>k)</sup>, et si tutelam liberorum aut nepotum susci-  
pere matri atque auiae licebat<sup>j)</sup>). Haec igitur mulieribus te-  
stamenta contentibus salutis liberorum promouendae causa a  
Iustiniano legibus sunt praescripta. Sed maritorum quoque  
utilitatis rationem habuisse Iustinianum videmus. Ita enim,  
ne tam crebro fierent diuortia, ab eo constitutum est, ut mu-  
lier, si contemta lege repudium mittere tentatiss, dotem et  
donationem ante nuptias amitteret<sup>m)</sup>). Quae igitur nulla ea-  
rum, legibus quae adprobantur, rationum commotae matri-  
monio finem imponunt, plerunque nihil amplius habent, de  
quo disponere possint. Matrimonio enim vxoris culpa disso-  
luto maritus dotem accipit<sup>n)</sup>). Deinde etiam, ut maritis post

mor-

b) Vid. Tit. Inst. de pupillar. sub-  
stirur. in proem.

i) Conf. L. 33. D. de vulg. et pu-  
pill. substitut.

k) Conf. L. 1. D. de test. tutel.

l) Vid. Nou. CXVIII. c. 5.  
m) in leg. 8. §. 4. C. de repud.

et iud. de morib. sublat.

n) Vid. L. 38. D. solut. matrim.

dos quemadmod. perat.

mortem vxoris optime consuleret Imperator, vxores maritis inopia laboraturis quartam dotis partem testamento relinquare iussit<sup>o</sup>). Etsi enim antea ex edicto *unde vir et vxor a praetore coniux superstes ad hereditatem alterius capiendam vocabatur*, tamen, quum hoc non nisi deficentibus aliis legitimis heredibus fieri soleret, coniuges pauperes hoc praetoris beneficio raro frui poterant.

## C A P. V.

*De iis, quae in Germania, et praecipue in Saxonia, de iure testamenti condendi mulierum constituta sunt.*

Veteres Germaniae populi mores potius et consuetudinem, quam leges fecuti, TACITO teste, testamenta plane ignorarunt. Is enim<sup>a</sup>): *Heredes, inquit, successoresque sui cuique liberi, et nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione, fratres, patrui, aunculi.* Receptis demum legibus Romanis, testamenta in Germania quoque innovuerunt, quibus utriusque sexus homines veterentur. Feminis enim

D 3

olim

<sup>o</sup>) Vid. Nov. LIII. c. 6. §. 2.

<sup>a</sup>) de morib. Germ. cap. 20:

oslim licuisse testari, tum ex lege illa Wisigothorum<sup>b)</sup>, in qua feminarum testamenta disertis verbis commemorantur, tum nonnullis exemplis a BOEHMERO<sup>c)</sup> prolatis constat. Quae quidem testamenti condendi potestas ad nostra usque tempora nulla lege feminis est ademta. Quemadmodum enim iure Iustinianeo omnibus, quibus testamenti factio neque propter puerilis aetatis aut rationis infirmitatem, neque aliam quamcunque ob caussam interdicta est, ultima voluntate, quibus bona relinquere velint, constituere licet, ita quoque nostra aetate tam masculi, quam feminae eodem iure utuntur. A quo aetatis anno autem huius iuris participes fiant, id ex singularum provinciarum legibus statutisque cognoscendum est. Quodsi leges Saxonicas consulimus, in iis annum decimum quartum exactum ad testamenti factioñem etiam feminarum constitutum esse inuenimus<sup>d)</sup>. Quamuis autem mulieribus testandi facultas in Germania non plane ademta est, eadem tamen plerisque in provinciis aut legibus aut consuetudine quodammodo circumscriptam esse videmus. Sic enim, et si omnes res, quae ad vestimenta ornamentaque mulierum

per-

b) Lib. II. Tit. V. l. 10.

XIII. §. 15. In Borussia atque in ter-

c) in diff. de test. mulier c. II.

ris Brandenburgicis eadem aetas utri-

§. 3.

usque sexus hominibus ad testamen-

d) Cons. die allgem. Churfürstl. Vor-

tum und schaftssord. vom Jahr 1782, Cap.

Tb. 1, S. 429.

pertinent, quaeque uno vocabulo *Gerada* vocantur, in eam dominio sunt constitutae, mulieres tamen eas filiabus, aut proximis cognatis, aut filiis clericis testamento adiungere non possunt, nisi ii, eaeue, quibus hae res debentur, iuri suo renunciauerint<sup>e</sup>). Quod quidem ideo sanctum esse videtur, ut feminis aliquid esset, quo damnum, quod iis ex legibus sentiunt, quibus res, quas vulgo vocant, *expeditoriae* solis filiis cedunt, quasi sarciretur. Idecirco uxores in primis res utensiles maritis donare prohibentur<sup>f</sup>). Quid, quod, omnem rerum utensilium donationem inter viuos legibus Saxonis non permittam esse, SCHILTERVS<sup>g</sup>) ex rationibus haud contempnendis arbitratur.

Deinde uxoribus etiam de dotalitio, siue de iis rebus, quae vel ante vel post nuptias uxoribus a maritis in casum viduitatis constituantur, testari haud licet. Quamuis enim veteribus legibus germanicis<sup>h</sup>) tam uxoribus, quae liberos ex matrimonio non sustulerant, de omni dotalitio, quam feminis, quibus liberi supersunt, de quarta eiusdem parte disponere permisum fuit, legibus tamen Saxonis<sup>i</sup>), non nisi vesusfructus dotalitii mulieribus debetur. Quum igitur nostra

aetate

- e) Conf. BENEDICT. CARPOZO. b) in Leg. Wisigoth. Lib. III. Tit. VII. Inrisprud. foren. Rom. Sax. P. I. l. 5; et Lib. IV. Tit. V. l. 2.  
II. Conf. XIV. Dēfinit. 1. et 2.  
f) in Spec. Sax. Lib. I. Art. 31. i) Tit. VIII. Leg. Sax. et CARPOZO. Part. II. Conf. XLII. Def. 2.  
g) in praxi iur. Rem. in foro Germ. Exercitat. XLIII. §. 14.

aetate vxoribus vsurae dotis illatae ex feudo quodam ad vitae dies percipiendae a maritis dotalitii loco constitui soleant, satis adparet, eas potestate dotalitii ultima voluntate in alium transferendi nequaquam gaudere.

Eodem modo vxoribus super bonis, quorum heres legitimus est maritus, eiusdem in fraudem testari haud fas est, quod quidem in Saxonia<sup>k)</sup>, disertis verbis constitutum reperimus. Quae autem res hoc referendae sint, singularibus ex legibus discere oportet. In Saxonia omnes res mobiles, exceptis utensilibus, huc pertinent<sup>l)</sup>, ideoque testamentum vxoris, quatenus in fraudem mariti vergit, valere non potest<sup>m)</sup>.

Sed nec in iis Germaniae provinciis vxoribus testamentum condere licet, vbi, ne liberi ex primo matrimonio procreati propter secundas nuptias a matribus contractas, parentum hereditate priuentur, introductum est *ius devolutionis* (*das Verfangenschaftsrecht*), seu vbi proprietas bonorum non solum patris defuncti, sed matris etiam superstitis in liberos ita transfertur, ut mater non nisi iure bonis suis vtendi fruendique

<sup>k)</sup> Conf. Const. Elec. VII. Part. III. SCHAVMBVRG in der Einleit. zum Sächs. Rechte, Tb. 2. Sect. I. Exercit.

<sup>l)</sup> Conf. Ius Prou. Sax. Lib. III. IX. §. 12,

Art. 76. Const. Elec. XXII. Part. III.

Quae autem ad hereditatem mobiliarem pertinent, optime exposuit

<sup>m)</sup> Conf. CARPOV. Part. III. Const. VII. Definit. 13.

dique gaudeat<sup>n</sup>). Amisso enim bonorum dominio, iure super iis testandi priuatas esse vxores, vnuusquisque facile intelliget.

Quod ad *fideicomissa* familiae attinet, i. e. bona ab eo, a quo primum adquisita sunt, ea conditione ad posteros translata, vt ad familiae splendorem conservandum in gente perpetuo maneant<sup>o</sup>), ea, quum in seminarum, quae contractis nuptiis ex una in alteram gentem transeunt, potestate non constituta sint, ab iisdem ultima voluntate in alium transferri non posse, nemo erit, qui neget.

Denique, quia patriam armis defendere nequeunt mulieres, a maioribus quoque nostris dignae non habebantur, quibus feuda traderentur. Feuda autem hic commemorare necesse mihi non videretur, nisi nostris temporibus constituere licaret feuda etiam feminis, ita vt vel a feminis primum adquirantur, vel a masculis adquisita in feminas deinde transferri queant<sup>p</sup>). Sed de his quoque testari mulieribus non licet, propterea quod feuda in alium *testamento* transferri ex regula non possunt<sup>q</sup>).

#### Ceterum

<sup>n</sup>) Vid. DE SELCHOW. Element. III. I. AD. TH. KINDII diff. de feu-  
iur. Germ. priuat. hod. Part. sp. Lib. II. Cap. I. Sect. II. Tir. V. §. 365. dis feminin. quae prodiit Lipf. 1775.  
§. 9.

<sup>o</sup>) Conf. Conft. El. XII. P. II.

<sup>p</sup>) Vid. II. Feud. 30. et 50. et

<sup>q</sup>) Exceptiones legi possunt in III. PÜTTMANNI Elem. iur. feud. §. 493.

Ceterum notari meretur, ex legibus tam Germanicis,  
quam Saxonis<sup>1)</sup>) mulieribus testamentum condere licere sine  
tutoris aut curatoris consensu, nisi fortasse alicubi contrarium  
constitutum reperiatur.

i) Vid. Const. El. XIV. Part. II.

C O R R I G E N D A.

- p. 11, lin. 6. legendum: *mulieris*.  
p. 12, lin. 10. leg. *reflari*.  
p. 27, lin. 12. leg. *Instituaneo*.






Leipzig, Dr. 1 1792

ULB Halle  
005 358 981

3







1792. 18.  
2109

HISTORIA IVRIS CIVILIS  
DE  
TESTAMENTI FACTIONE  
MVLIERVM

DISSERTATIO PRIMA  
QVAM  
ILLVSTRIS IVRISCONSULTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
PRO SVM MIS  
IN VTRQVE IVRE HONORIBVS  
OBTINENDIS

D. XXII. MART. CI CLOCXCII.

AD DISCEPTANDVM PROPONIT  
AVGVSTVS ADOLPHVS WENDLERVS  
ARTIVM LIBERALIVM MAGISTER ET IVRIS VTRIVSQVE  
BACCALAVREVS.

LIPSIAE  
EX OFFICINA KLAUBARTHIA.

